

DE ÆTERNA CONVERSIONIS

conversos autem per verbum ducere vult ad viam rectam; tum quia Spiritus est Doctor Epanorthoticus, & Elencticus, Job. XVI. 8. qui mundum arguit de peccato, de justitia, & de judicio. talis etiam hic v. 20. legitur epanorthosis: Et dicitis: (Vos, nim. Filii Israel,) Non est recta Via Domini: hoc autem graviter hic per Spiritum S. Adonai redarguentem, corripitur: partim, quia Spiritus est judicii, Esa. IV. 4. propterea dicit h. l. Unumquemque juxta vias suas JUDICABO de vobis, Domus Israel. Hæc autem omnia suo modo quoque respiciunt Æternam Gratiolam Conversionis Oeconomiam.

14. Respicit autem Æternus Conversionis Oeconomus, non ad Conversionem immediatam, & absolutam, sicut Reformati volunt, sed ad mediatam, & ordinatam, ideo, juxta textum nostrum, prævidit, (1) Intermediam Causam Verbi, quod Verbum dicitur, alias Verbum Conversionis, & verbum penitentiali, hoc autem, tanquam geminum hic introducit: aliud legalis voluntatis, quod est verbum mandati: *Dic ad eos, & ex lege mea peccatorum iniquitatem ostende, dum ex lege dicitur agnitio peccati, Rom. III. 20. ex lege peccata redargue, quia Moses, & lex, peccatores accusant, sicut Christus inquit, Joh. V. 45. Est, qui vos accusat, Moses, quia lex non potest peccata non redarguere: ex lege Dei vindicis iram urge, quia lex iram operatur, Rom. IV. 14. ex lege comminationes, maledictiones, condemnationes, cordibus peccatorum impone, quia, juxta Paulum Gal. III. 10. quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt: scriptum est enim, Deut. XXVII. 26. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea: aliud Evangelicæ voluntatis, vel gratiæ promissionis, quo pertinent reliqua præsentis Oraculi commata, nim. (a) Verbum Evangelicæ, seu vivificæ, contestationis, quod ostenditur primis verbis: *Vivo ego, dicit Adonai Jehovih: vitam nostram insinuans per ardentissimum sui desiderium. Nam hic vivens Deus, vita Deus, nos etiam vult vivos, & vita penitentiali, vel spiritali præditos, & nos omnes in ipso vult esse viventes, quam vere vivo, tam sincere vos vivere volo. (b) Verbum Evangelicæ sanationis, quia sua gratiosa, vel Evangelicæ voluntate solenniter prætestatur, se nolle**

mor-